

erit F *Planeta Soli ipsi* G *oppositus. itaque idem Planetæ locus apparebit sub Fixis per lineam* G F, *sive ea sit continua cum linea* C P *sive cum linea* C G, *quia utraque una facta sunt linea. Vtraque igitur ratione Planeta vere exutus est inæqualitate secunda. At cum Sol ad sui eccentrici latus seu longitudines medias venit, differentia satis magna intervenit. Iverit enim* A G *in* S, *& inveniatur linea medii motus Solis* C V *in ariete & linea visionis Planetæ* C O *in libra præcise illi oppositæ. ut sit* V C O *una linea. Cum igitur* C S *superaverit* C V, *apparens igitur locus Solis est ultra oppositionem cum Planeta. Cumque per hanc meam mutationem centrum systematis Planetarii sit non in* V *sed in* S *Planeta in* C O *spectato, connexis igitur* S. O. *signis erit* C *terra extra lineam* S O, *quare visio Planetæ per* C O *lineam adhuc implicata inæqualitati secundæ. Neque* C O *in posteriore tempore verget in consequentia ut opponatur ipsi* C S, *sed ascendet versus* C F, *quia motus Solis & una centri systematis Planetarii omniumque ejus partium (itaque & ipsius* O *Planetæ &* L *centri eccentrici) est a linea* C O *versus* F *sursum & multo celerior quam motus eccentrici vel Planetæ in* O *circa* L *a puncto* H *versus inferiora. itaque* O *motu non eccentrici proprio sed extraneo retrahitur nonnihil in antecedentia, ut quidem per se constat Planetas in oppositione cum Sole esse retrogrados. Tempore igitur, quod momentum per* C V *signatum antecedit (sit autem* C T*) cum Sol videtur in linea* C Q, *Planeta in ejus apparentis loci opposito puta in* I *videbitur. & quia*

& quia jam ponitur in hoc casu exuere inæqualitatem secundam, ideo Q C I *erit linea una, hoc est, punctum a quo consurgit eccentricitas erit in linea* C Q. *Quia igitur* C I *visio Planetæ retrogradi prior tempore est ultra* C O *visionem posteriorem ideoque magis in antecedentia vergentem, erit igitur &* C Q *ultra* C V *&* Q *novum centrum systematis ultra* V *vetus. Et cum ex* O V *sit facta* I Q *plus distans in consequentia angulo* O C I, *linea vero apsidum* V D *vel* P D *(a qua motus incipit) maneat in omni circuitu sibi ipsi parallelos, apparet igitur minori temporis intervallo statui Planetam ulterius venisse circa centrum* Q *systematis quam antea sub majori temporis intervallo circa* V *centrum systematis.* Cap. VII.

Apparet itaque quid in hac reductione a medio ad apparentem Solis motum in motu apparenti eccentrico immutetur. Nam in G & opposito puncto versante centro systematis linea motus eccentrici apparentis manet, in Q promovetur, in opposito retrahitur, cum illic tempus minuatur hic augeatur. Atque ita hæ lineæ a pristinis multum dissident. Quare etiam, cum ex his aliquot locis visis Planetæ (e quorum regione supponimus inveniri centrum systematis nempe in ipso Sole) nova & repetita operatione causas & mensuram inæqualitatis primæ investigamus, effectus operationis a priori multo differt.

Nam quia punctum affixionis ex circulo V P, *in quo* Brahevs *ipsum circumduxit, jam in circulum* G S *transponimus nimirum in ipsum corpus Solis, quod semper in linea quæ ipsi* C B *parallelos est spacio* C B *supra* Brahevanvm *punctum pristinum stat scilicet supra* V. P. *in* S. G. *ut igitur* D *puncto æqualitatis manente (iisdem scilicet momentis per* C V *signatis) & Planeta in* O *& punctum affixionis in* S *esse possit, oportet per punctum* D *&* S *vel* G *novam lineam apsidum trajicere. Quare ex demonstratis capitis* V *(quæ supra in explicatione formæ* Copernicanæ *allegaveramus) ducta* D S *vel* D G, *& divisa in ea proportione in qua* D P *vel* D V *per* L *est divisa, ut sit punctum divisionis* M, *& centro hoc puncto* M, *intervallo vero quo prius, scribatur* novus eccentricus: ille non tantum reddet observationes has posteriores ex quibus erat extructus, sed immissus in priorem hypothesin salvaturus est etiam observationes prius adhibitas intra præcisionem quinque scrupulorum.

Quæ vero computationes instituentur extra situm acronychium & per priorem & per novum hunc eccentricum, alicubi (nempe circa perigæum Solis) plus uno gradu dissidere poterunt, si numeros familiares & stellæ Martis appropriatos per Brahevm proditos sequamur.